



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab exordio Imperij Arcadij & Honorij Augustorum, Anno Domini CCC. XCV. perueniens vsque ad CCCC. XL. continet annos XLV. ita dispositus, vt commodè sextus tomus à S. Leone Magno Pontifice Maximo inchoetur

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Sanctissimo Ac Beatissimo Patri Et D.N. Clementi VIII. Pontifici Maximo
Cæsar Barnonivs Congregationis Oratorii Presbyter Sempiternam
Felicitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14566



SANCTISSIMO AC

BEATISSIMO PATRI

ET D.N. CLEMENTI VIII. PON-

TIFICI MAXIMO

CÆSAR BARONIVS CONGREGATIONIS

ORATORII PRÆBYTER SEMPITERNAM FELICITATEM



Vos cōficimus, te Pontifice, BEATISSIME PATER; Annaliū
tomos, vt tibi debitos, s; ote perfoluimus: obtulimus nuper
quartum, offerimus ecce quintum; eoq; libentiū, quo sci-
mus te & priorem grato animo accepisse, & sub tanta licet
mole curarum (quod vix credere quisquam valeat) furtiuīs
horis crebrius perlegisse. Si placuit ille, fortasse hūc non mi-
nus gratus accedet; quippe qui sex sanctissimorū Romanorum Pontificum re-
rum præclare gestarum fulgore resplendeat, Anastasij nimirū, Innocentij, Zo-
simi, Bonifacij, Cælestini, ac deniq; Sixti; quos omnes, vt Deo acceptos, & post
obitum inter Sanctos adscriptos, florenti rediuiua memoria annis singulis ce-
lebrare Ecclesia cōsuevit: Qui cum in omnibus digna successoribus imitanda
exempla reliquerunt, tum in eo maximè altitudinem animi ostenderunt cum
inigni pietate coniunctam, quod Dei Ecclesiam vndiq; hæreticorum agmini-
bus circumseptam, piratarum instar amicos simulantium, & se in eam obtru-
dentium, admirabili quadam prudentia illibatam diuinitus conseruarunt.

Videre namq; est cum qui primitus occurrit, laudatissimum Anastasium cir-
cumacta & vndiq; exagitata proditorie Origenistarum periclitanti fidei præ-
sto esse, dum illius simplicitati illudentes Episcopi, nempe Siricij, qui de suo in-
genio (vt S. inquit Hieronymus) cæteros æstimabat, sese in Ecclesiam, oblata
Catholicæ fidei confessione Pontifici, subdole immisissent. At quales re vera es-
sent, a se perspicue demonstratos, penitusq; detectos, idem Anast. mox anathe-
matis illa sententia profligauit; præclare admodum successoribus relinquens
testatum, hæreticorum poenitentia, quantumlibet Catholicæ assertionem fidei
deklaratum & chirographo consignatum, haud festinè suscipiendam esse, sed
suspensa lance iudicij, prudentiore consilio, longioreq; examine disquirendam.

His planè admonitus eius in Pontificatu successor Innocent. absolutum li-
cet in Concilio Palæstino Pelagium suas damnantem hærefes, & fidem Catho-
licam profitentem, Synodalibus quantumlibet literis commendatum ac pro-
barum Catholicum, non solum recipere detrectauit, sed penitus respuit, imo &
seueriori censuræ dolosum hominem subijcere voluit, atq; excommunicatio-
nis sententia condemnare, adnitentibus magno illo magistro Catholica Ec-
clesia Augustino & reliquis Africanis Episcopis, atq; clamantibus, omnia ab
eodem veterioso hæresiarcha proditorie ac veteratorie agi: Quin & tanto ve-

); (2 hemen-

hementius exclamarunt postea, crebrisq; litteris fatigarunt, dicam, & exagitarunt Zosimum successorem Innocentij, cum perlatu est, Pelagium eundem, eiusq; collegam Coelestium, oblati poenitentiae cum recta fidei confessione libellis, ad audientiam (etsi citra communionem) admissos, & eorum causam ad Romanam Ecclesiam iudicium reuocatum: quos tamen inuentos fallaces & fraudulentos idem Pontifex iterata damnationis sententia percussit.

Par exemplum a Sixto Pontifice editum reperitur, dum ouina pelle contactus se intulit lupus in Urbem (Iulianum dico Pelagianorum signiferum ceteris omnibus Catholicae Ecclesiae magis infectum) & ut sedem, de qua fuerat antea deiectus, recipere posset, simulata fide Catholica & fucata poenitentia ipsam Pontificem decipere conatus est: Sed quo minus admitteretur, nec ulla ratione audiretur, Magnus ille Leo tunc Archidiaconus, eius paulo post in Pontificia sede successor, summo animi vigore intercessit: magno plausu excipiente populo atque laetitia prosequente dignam versipellis hominis absque auditione repulsam.

Hae est plane veteris obseruantiae arcte constricta sibilis Romanae Ecclesiae disciplina, sacris sancita legibus exemplis pluribus edita, & a sanctis Patribus custodita, ut non pateat facilis aditus haereticis ad Ecclesiam redeuntibus qui simulationis & fraudis vehementi suspitione laborant. At longe seuerior hoc tempore (quod hic ipse exhibet tomus) extitit de his Ecclesiastica Orientalis Ecclesiae constitutio, cum in sacro Episcoporum Concilio, Patrum omnium rogata sententia, canon sancitus est, idemq; munitus subscriptione Episcoporum omnium, potissimum vero Sisinnij Constantinopolitani & Theodoti Antiocheni clarissimorum Antistitem super ceteros eminentium, ne Massaliani haeretici saepe recepti, & saepe relapsi, sic crebro ludificantes Ecclesiam Catholicam maiestatem, vllaenus amplius reciperetur, etiam si millies poenitentiae libellos offerrent; quod scilicet cuncta illi agerent simulata. Sola namq; simulatio vberem perennemq; diuinam misericordiae fontem exiccat: quam praeter ceteris criminibus infectati sunt Apostoli, eorundemq; Princeps Petrus primo vltus est, in Simonem Magum sententiam damnationis intorquens, atque in Ananiam & Saphiram Apostolicae seueritatis districtum gladium repentino impetu vibrans.

Ceterum nunquam despexit, neq; desperauit aliquando lapsorum Ecclesia Romana salutem: nec inuidet pia mater vitae periclitantium filiorum, neque perditione morientium delectatur, quae, publicis etiam affixis olim edictis, delinquentes inuitare consuevit ad veniam, simul & illices ad poenitentiam imagines ob oculos ponere pastoris super humeros ouem gestantis, quas in sacris calicibus exculperet, vel pingere. Veruntamen cum omnibus vere poenitentibus sinum aperit, & obuias manus extendit, non temere ac sine delectu omnes accedentes excipere consuevit, quos prius instruens voce praekonis iugiter illud in clamat: Facite fructum dignum poenitentiae, & Apostolico tonitruo semper intonat: Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, opera illa exigens, quae progrediantur (ut ait Apostolus) de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: quibus si careant qui poenitentes ad eam se accedere profitentur, manus ipsa retrahat, & sinum

Photian
Bibliot.

AA. 5. 6
8.

Vertul.
de Pudi-
cat.

Matth. 3.

1. Petr. 1.

1. Tim. 1.

con-

contrahat: Examinans ista Gelasius doctissimus Romanorum Pontificum, scribens ad Euphemium Constantinopolitanum Episcopum: Quomodo, inquit, de corde puro, si hæreticorum fuerint participatione polluta? Quomodo de conscientia bona, si malorum fuerint confusione permixta? Quomodo de fide non ficta, si fuerint mixta cum perfidis? eadem rursus repetit idem Pontifex & inculcat, ut rem magni ponderis, scribens ad Anastasium Imp.

Sic igitur semper ab antiqua Romana Ecclesia disciplina alienum fuit, ut in exploratis lapsis indulgentia præcox occurrat. Quisnam enim in his pertractandis eiusdem mos vetus extiterit, ipsa Romani Cleri digna elogia manifestant, cum, sine Pontifice, licet, cessante diu sede post decoratum nobili martyrio Fabianum, ingruentem lapforum turbam & pullantem instantius Ecclesia fores, atque ut admitterentur in comunione urgentem repulit, quod id tentassent non præmissa longioris temporis conciliatrice diuine gratiæ poenitentia: id quidem epistolis ad S. Cyprianum, mirificum illum Carthaginensem Episcopum, datis, his primum verbis iidem professi sunt: Mirati sumus ad hoc usque; profligare voluisse, ut tam urgente, & tam immaturo atque acerbo tempore, in tam ingenti & immenso crimine atque delicto pacem sibi non tam peterent, quam vindicarent, imò iam & in cœlis habere se dicerent; ac rursus: Absit (inquiunt) ab Ecclesia Romana, vigorem suum tam profana facilitate dimittere; & neruos seueritatis, euerfa fidei maiestate, dissoluere: ut cum adhuc non tantum iaceant, sed & cadant, euerforum fratrum ruinæ properata nimis remedia communicationū utique non profutura præstentur, & noua per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad euerfionem maiorem eripiat & poenitentia, quam scilicet præmittere tenerentur tamquam fidei usorem & obsidem pacis Ecclesiæ impetrandæ. Quod si ea præstiterunt ex vitali Ecclesiæ corpori perpetuo inhærent: diuino Spiritu viuida atque vocalia membra: quid visibile caput, Romanum Pontificem ipsi Christo coniunctum, & Christi ore loquentem, præstiturum fore crederemus? Sed de his hæcenus; haud enim patitur instituti ratio diutiùs immorari: satis namque est, degustanda propinasse perpauca ex multis, quæ præfens hic to-mus includit, forisque tamquam signa in fronte operis posuisse, & imposuisse postibus de superatâ sapiùs irrepente elanculum hæreticorum perfidia trophæa præclara sanctissimorum Pontificum, quorum vestigijs te fortiter firmiterque insistere, Ecclesia vniuersa latatur.

Iam verò (quod reliquum est) sanctis tuis, Pater Beatissime, pedibus aduolutus, post duos oblatos Annalium tomos amplissimam benedictionem illam expeto, quam post duos allatos ad patrem Iacob filios Ephraim & Manassen, ab eodem Sanctissimo Patriarcha ipsius filius Ioseph est feliciter consecutus. Custodiat te quam diutissimè Deus incolumem & defendat, qui turbulentissimo hoc tempore Ecclesiæ suæ inscrutabili sua prouidentia voluit te esse præfectum.

Apud Cyprianum Episcopum
30. 31

Gen. 48.
49.